

ARTICULUS III.

AN ET IN QUO DEUS COGNOSCAT RES OMNES POSSIBILES?

117. *Dico I.* Deus omnes creaturas possibles *distincte* cognoscit.

Prob. 1^o. Deus est infinite intellectivus; ergo habet vim cognoscendi omne intelligibile: sed res possibles sunt intelligibiles; quia sunt entia saltem possibilia, et unumquodque sicut est ens, ita est intelligibile; ergo divina cognitio ob infinitatem suam hæc omnia complectitur. 2^o. Impossibile est, Deum ignorare rem, quam possit creare; quia nihil operatur vel operari potest, nisi ut agens intellectuale; tum quod solus hic operandi modus sit perfectus et Deo dignus; tum quod potentia divina utpote infinita, neque tamen infinita entia producat aut ex se determinata ad hæc potius quam illa entia producenda, non nisi per intellectum et voluntatem determinari potest ad effectus, quos ponit reipsa producendos. Ergo repugnat, aliquid cadere sub divinam potentiam, quod sub scientiam divinam non cadat.

118. *Dico II.* Ex supposito, quod Deus essentialiter connectatur cum possibilibus, Deus illa cognoscit *in seipso*; et quidem tot titulis, quot essentialiter cum illis connectitur.

Prob. 1^a. p. Medium essentialiter connexum cum termino nequit comprehensive cognosci, quin cognoscatur terminus propter realem connexionem.

Prob. 2^a. p. Quia posito, quod Deus essentialiter connectatur cum creaturis, et quod connexio cum termino sit ratio intentionaliter motiva cognitionis termini; tot erunt in medio rationes objectivæ intentionaliter motivæ, quot sunt connexiones vel tituli connexionis. Medium 1^{um} est species intelligibilis divina creaturarum, quatenus essentia Dei, eminenter *continens* omnes creaturarum etiam ut possibilitium perfectiones; rationem intentionaliter movendi ad earum cognitionem gerit. Medium 2^{um} sunt ideæ divinæ creaturarum; quatenus essentia divina ut *participabilis* connotat infinitos modos, quibus a rebus creatis perfectiones divinæ participari possunt; unde attingi oportet primariam possibilitatem, quæ in perfectionum seu prædicatorum consensione consistit. Medium 3^{um} est omnipotentia divina, cujus terminus adæquatus alius non est, quam res omnes possibles. Medium 4^{um} est ipsum Verbum divinum, quod quia est substantialis imago Divinitatis, in eodem res omnes possibles etiam representari oportet. Atque hoc medium frequentius assignatur a SS. Patribus.

119. *Dico III.* Deus etiam immediate cognoscit possibilia *in seipsis*.

Prob. Quia intellectus divinus est infinite cognoscitivus, non solum debet cognoscere omnia, sed etiam eo modo, quo sunt cognoscibilia: sed possibilia sunt etiam immediate *in seipsis* cognoscibilia; tum quia immediate in seipsis habent veritatem objectivam, vi cujus terminare possint enuntiationem sibi ipsis conformem; cujusmodi sunt, esse producibilia, non involvere prædicata contradictoria: tum quia ut sunt intrinsece possibilia, ita et intrinsece atque hinc immediate cognoscibilia: tum quia res præteritæ existentes et futuræ

sunt in seipsis cognoscibiles, a quibus res possibles non distinguuntur secundum veritatem objectivam, sed duntaxat secundum statum; ergo.

120. *Obj. cont. 1^{um}. 1^o.* Creaturæ mere possibles non sunt aliquid actu, neque erunt. 2^o. Si Deus actu cognosceret omnia possibilia, in mente divina daretur infinitum categorematicum objectivum; sicut hoc a parte rei haberetur, si Deus omnia possibilia actu produceret. 3^o. Si res cognoscitur in causa universali, cognoscitur solum in communi et secundum rationes communes: sed possibilia dum cognoscuntur a Deo in *seipso*, cognoscuntur in causa universali; ergo sic saltem non cognoscuntur sigillatim et distincte.

R. Ad 1. D. A. Non sunt aliquid physice ac subjective *C.* objective ac verificative *N.* Cum nullum objectum physice moveat divinum intellectum, et tam præterita quam futura æque sint objectum divinæ cognitionis ac præsentia, manifestum est possibilia subtrahi non posse intelligentiæ divinæ ex eo capite, quod actu non existant.

Ad 2. Deus omnia possibilia solum cognoscit actu et simul, actualitate et similitate extrinseca cognitionis, utpote quæ unicus et indivisibilis entitative est actus; non autem similitate objecti, quæ scilicet collectionem possibilitium enuntiet vel omnia possibilia simul esse posse. Si vero actu producerentur omnia possibilia, haberent actualitatem et similitatem sibi intrinsecam; adeoque daretur infinitum categorematicum creatum.

Ad 3. D. M. Si res cognoscitur in causa universali creata, cognoscitur solum in communi *C.* si in causa increata *N.* Creatura solum est universalis per defectum virtutis; uti dicitur intellectus noster universalis per abstractionem a materia et mutuando species objectorum a rebus: e contra Deus est universalis per plenitudinem; quia virtus divina est causa rerum secundum omnes rationes etiam specificas et individuales.

121. *Obj. cont. 2^{um}.* Quod non continetur formaliter in Deo, nec formaliter seu secundum esse formale cognosci in Deo potest: nullæ creaturæ continentur in Deo formaliter, sed eminentialiter tantum; ergo. *Conf.* Neque ratio *ideæ* potest esse medium cognoscendi possibilia; cum Dion. L. de divinis nominibus c. 7. dicat, *Deum non cognoscere res secundum ideam.* Nec *Verbum divinum*, cum Ansel. in Monol. c. 29. hæc scribat: *Satis manifestum est in Verbo, quo facta sunt omnia, non esse eorum similitudinem.*

R. N. M. vel D. Quod formaliter in Deo non continetur, nequit in eo secundum suum formale cognosci immediate et directe *C.* mediate et indirecte *N.* Hoc ipso, quod Deus essentialiter respiciat possibilia, nequit seipsum comprehensive cognoscere directe ac immediate, quin simul possibilia tanquam terminos saltem indirecte et mediate intelligat.

Ad Conf. D. Deus non cognoscit secundum ideam æternam a se independentem et extrinsecus affixam *C.* secundum ideam sibi intrinsecam, quæque sit ipsa essentia divina ut participabilis *N.* Ita nempe respondet D. Thom. hic q. 15. a. 1. ad 1. Cæterum a Dionysio nihil minus quam cognitionem creaturarum in Deo negari, *num. seq.* apertissime patebit. *Item* in Verbo non sunt similitudines rerum, acceptæ scilicet a rebus externis et creatis *C.* provenientes ab ipso Deo ejusque essentia ut participabili *N.* In hoc sensu loqui ANSELMUM probant verba continuo subjuncta: *In factis non est simplex absolutaque essentia, sed vere illius essentia (Dei) vix aliqua imitatio.*

122. *Obj. cont.* 3^{um}. Dionysius L. de divin. nomin. c. 7. manifeste nobis adversatur sequentibus propositionibus; 1^a est: *Non secundum visionem singulis se immittit, sed secundum causæ continentiam scilicet omnia.* 2^a. *Divina sapientia seipsam cognoscens scit omnia.* 3^a. *Deus ea quæ sunt noscit, non rerum notitia, sed sui.* 4^a. *Si secundum unam causam Deus omnibus existentibus esse tradidit, secundum eandem causam sciet omnia, et non ex existentibus sumet eorum notitiam.* Ergo juxta eundem Deus possibilium non cognoscit in seipsis, sed in se tantum ipso. Neque solvitur argumentum dicendo, quod excludatur duntaxat cognitio possibilium in seipsis per species a creaturis acceptas; tum quia S. Doctor negat Deum cognoscere creaturas contraposite ad hoc, quod est cognoscere creaturas secundum continentiam causæ: tum quia alias cognitioni divinæ nihil speciale tribueretur; cum angeli etiam non intelligant per species a creaturis acceptas.

R. D. *Cons.* Deus possibilium non cognoscit in se ipsis sumendo hunc cognoscendi modum minus jam usitate et pro cognitione, quæ habetur per species proprias ab objecto emissas C. sumendo illum usitatioe jam acceptione et pro cognitione rei propter ipsius propriam veritatem N. Priorem duntaxat usurpationem negat Dion., qui l. c. intendit unice probare, quod Deus habeat ab æterno cognitionem omnium, neque modo in tempore aliquid discat. Mentem hanc ejus esse, patet tum ex discursus exordio, quod est hujusmodi: *Neque enim ea quæ sunt, ex iis quæ sunt, discens novit divina mens; sed in se et ex se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentialique anticipatam et ante comprehensam habet: non quod per speciem singula consideret, sed quod uno causæ complexu omnia sciat et contineat:* tum ex probatione, quam desumit ex Scriptura, in qua frequenter dicitur, Deum res novisse, prius quam fierent: tum ex Maximo in Scholiiis ad c. 7. Dion., ubi dicit Deum per causam habere in se cognitionem omnium, quod illam experientia non compararit; tunc enim Deus cognitione posterior inveniretur, aut in aliquo tempore non cognoscens: tum ex versione Lansselii, secundum quam propositio 4^a. sic enuntiat: *Sicut Deus omnibus creaturis actualibus tribuit esse, quin illis esse sumat, ita et eas omnes cognoscit, quin ab eis per speciem cognitionem accipiat.* Hinc

Ad prob. N. Ass. Quoad rationem 1^{am}., patet responsio ex dictis, ubi declaravimus, cuinam opponat S. Doctor cognitionem Dei in seipso: quoad 2^{am}. assignamus differentiam, quæ etiamnum stat cum data explicatione. Dum enim Patres probant Deum non cognoscere creaturas per speciem ab his acceptam, maximam et specialem perfectionem Deo tribuunt in linea intelligendi; quia si speciem non accipit a creaturis cognitilis, nec eam accipit aliunde: ex quo conficitur, intellectum divinum nulla indigere specie, adeoque ex se esse completissimum et determinatum ad cognoscenda omnia cognoscibilia, ut primum cognosci possunt; quæ est singularis Dei perfectio: angeli autem quamvis speciem non recipiant a creaturis, illarum tamen speciem habent a Deo infusam.

Inst. 1. Aug. L. 83. QQ. q. 46. n. 2. ait de Deo: *Non enim extra se quidquam positum intuetur: Nam hoc opinari sacrilegum est.* Quæ verba exponens D. Thom. hic q. 14. a. 5. ad 1. inquit: *Dicendum, quod verbum Augustini dicentis etc., non est hic intelligendum, quasi nihil, quod sit extra se, intuetur, sed quia id, quod est extra ipsum, non intuetur nisi in seipso, ut dictum*

supra. Dixerat autem in 0. *Alia autem a se videt non in ipsis sed in seipso;* et L. 1. cont. Gent. c. 48. n. 7. scripserat: *Si igitur Deus aliud a se intelligeret quasi per se et primo intellectum, ejus operatio intellectualis speciem et nobilitatem haberet secundum id quod est aliud ab ipso: hoc autem est impossibile.* Ergo. *Conf. S. AMBR. c. 1. in Symb. (al. de Trinit. c. 1. not. a.) Licet,* inquit, *Deus omnia cælestia et terrestria ac minima quæque perspiciat, nihil tamen extra se intelligere, sed singula in se intueri dicitur.* Et S. AUG. L. 5. de Gen. ad lit. c. 15. *Vidit omnia Deus, quando fecit; et sicut vidit, ita fecit: non præter seipsum videns, sed in seipso.*

R. Quoad textum S. AUG. D. A. Deus non intuetur extra se aliquid tanquam exemplar seu ideam, ad cujus similitudinem et normam efformet creaturas C. non intuetur extra se aliquid tanquam objectum, quod immediate et in propria ratione ac veritate percipiat N. Platonicas ideas nempe hic insectatur S. Doctor cujus hæc verba non interpolata damus: *Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituerat: nam hoc opinari sacrilegum est.* D. THOMAS in Summa l. c. ad 3. assert hanc rationem, cur Deus creaturas non cognoscat in seipsis; quia cognitio divina nequit specificari ab objecto creato, cum istud non possit esse principium intellectualis operationis, per se nempe vel per speciem influens: in L. cont. Gent. autem l. c. plures rationes addit, nempe quod Deus alias mutaretur in pejus, haberet plures operationes intellectuales, foret in potentia, aliquid aliud esset Dei perfectio, et scientia ejus ex multis componeretur: hæc vero omnes non conveniunt scientiæ nisi tali, quæ ab aliquo extrinseco vel constitutive vel physice motive et sic principiative habetur; quorum neutrum in nostra sententia sequitur. Cæterum advertendum est, D. THOMAS his in locis sermonem etiam facere de objecto primario et nobiliore, quod essentialiter Dei esse, non autem creaturas, jam supra a nobis assertum fuit.

Ad Conf. R. 1^o. N. Cons. AMBR. enim negat duntaxat cognitionem creaturarum in seipsis secundum modum a Dionysio rejectum. 2^o. Verba quæ obijciuntur non leguntur in genuino hujus tractatus textu; ut videre est in nova opp. S. Ambrosii edit. l. cit. et in admonit. prævia. Aug. autem hic rursus rejicit ideas a Deo distinctas, ut ipsa verba satis manifestant.

Inst. 2. Cognitio creaturarum in seipsis est decoloratio et vespertina, juxta S. AUG.; ergo Deo haud convenit. *Item* sicut se habet bonitas creata ad voluntatem divinam, sic se habet veritas ad intellectum: sed bonitas creata non potest immediate movere voluntatem divinam ad amorem sui; ergo similiter.

R. D. A. Cognitio creaturarum in seipsis est decoloratio et imperfectior respectu Beatorum C. respectu Dei N. In Beatis cognitio creaturarum in seipsis est realiter distincta a cognitione earundem in Verbo; unde nec est beatifica, nec relata adhuc in laudem et amorem Dei, nec habet pro principio lumen gloriæ sed species proprias creaturarum, ex quibus capitibus decolorata et vespertina vocatur. Nihil autem eorum deest cognitioni divinæ creaturarum in seipsis, aut præstantiora adsunt.

Ad Conf. R. N. M. Disparitas est 1^o. quia voluntas est potentia libera, et sicut ex hac ratione potest amare vel non amare objectum materiale creatum,

sic potest illud amare ob hoc vel illud motivum : sed *intellectus* est potentia necessaria, et sicut hinc cognoscere debet omne vere cognoscibile, sic pariter debet illud cognoscere omni modo et ex omni motivo, quo cognoscibile est sine cognoscentis imperfectione. 2°. Cum voluntas sit sedes *moralitatis*, moralitas autem actu divinorum debeat esse perfectissima, sequitur etiam hos actus ex motivo perfectissimo, quale est una bonitas increata, proficisci debere : e contra sicut perfectio intellectus divini exigit, ut omnia cognoscat etiam ea, quæ voluntas amare nequit, qualia sunt peccata; ita pariter exigit, ut ea in se ipsis cognoscat, cum aliunde in hoc nulla repugnantia aut species imperfectionis reluceat.

ARTICULUS IV.

AN, ET IN QUO DEUS COGNOSCAT CONTINGENTIA ABSOLUTE FUTURA?

123. *Dico I.* Deus omnia contingentia absolute futura certissime ac infallibiliter jam ab æterno cognoscit.

Prob. In SCRIPTURA 1°. præscientia futurorum liberorum statuitur tanquam proprius Divinitatis character; Isa. 41. 23. *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* 2°. Eadem scientia universim tribuitur Deo; Sap. 8. 8. *Signa et monstra scit, antequam fiant, et eventus temporum et seculorum.* Dan. 13. 42. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant.* 3°. Speciatim etiam hujus scientiæ exempla proferuntur; David enim de se Psal. 138. 3. ait : *Intellexisti cogitationes meas de longe; et omnes vias meas prævidisti:* Deus apud Isa. 48. 5. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent, indicavi tibi, ne forte diceres: idola mea fecerunt hæc.* De Christo Joan. 6. 65. *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* His adde ex Prophetarum libris prædictiones omnes, utpote eventu certo jam comprobatas; unde Tertul. L. 2. cont. Marc. c. 5. *Præscientia Dei tantos habet testes, quantos fecit Prophetas.* Idem testantur Patres: ORIG. apud Eus. L. 6. c. 44. (p. 284. A.) de præp. Evang. ait : *Quidquid aliquando futurum est, id Deum multo ante futurum prænosse, ut Scripturæ abesset auctoritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intelligat, qui probe vim illam et excellentiam divinæ mentis intelligit.* S. AUG. L. 5. de Civ. c. 9. n. 1. *Confiteri Deum, et negare præscium futurorum, apertissima est insania.*

Conf. Mens divina est perfectissime et infinite intellectiva, adeoque certo et infallibiliter cognoscit omnia cognoscibilia sibi aliquando præsentia : est autem æterna; adeoque omnia, quæ fuerunt, sunt, aut erunt, aliquando sunt Deo præsentia. Præterea Deus est immutabilis; proinde ejus etiam scientia quoad se est *invariabilis*, quamvis objectum ejus sit variabile; ergo non cognoscit res tunc primum, quando actu sunt, sed ab æterno, sive una cognitione æterna attingit omnia. Denique quæcumque erunt, Deus ab æterno in sapientia sua constituit vel ordinando vel permittendo : hoc vero sine certa ac infallibili notitia fieri nequibat; ergo.

124. *Dico II.* Deus contingentia absolute futura non videt in decretis ad unam partem antecederet determinatis.

Prob. Hujusmodi decreta videntur esse superflua, sanctitati divinæ injuriosa, et libertati creatæ noxia; ergo non dantur, ideoque Deus in iis futura videre nequit.

Ant. prob. quoad 1^{am} part. Quia decretum antecederet determinatum ac determinans 1°. non est necessarium ad salvandam in Deo rationem *causæ primæ*; cum hæc ratio salvetur in eo, quod Deus dederit ac conservet causæ secundæ vires ad operandum, et per concursum indifferenter oblatum compleat ejus potentiam proximam, sicque moveat et applicet ad operandum, quin eam determinet : nec 2°. est necessarium ad salvandum *supremum Dei dominium*; cum illud ut *morale* salvetur per hoc, quod Deus causæ secundæ actus possit imperare vel prohibere, illosque pro suo placito ad certum, quem libuerit, finem dirigere et adhibere; ut *physicum* vero per hoc, quod causam secundam possit conservare vel destruere, eamque per media quamvis ex se repudiabilia, tamen certo et infallibiliter Deus possit perducere ad operandum id, quod ipse voluerit : nec 3°. est necessarium ad salvandam infallibilitatem *divinæ præscientiæ*; cum, ut S. AUG. L. de prædest. Sanct. c. 10. n. 19. inquit, prædestinatio quidem sine præscientia in Deo esse nequeat, possit tamen esse sine prædestinatione præscientia : nec 4°. necessarium est ad tollendam *causæ secundæ indifferentiam*; cum hæc non sit passiva sed activa, nec proveniat ex imperfectione et defectu, sed ex perfectione et eminentia virtutis ad agendum, vi cujus ita habet potentiam agendi, ut pro arbitrio agere vel non agere possit.

Quoad 2^{am} part. Quia si Deus prædeterminaret vel condeterminaret ad materiale tantum peccati, evaderet auctor peccati; tum quia Deus omnino censendus foret velle ipsum formale peccati cum materiali, quod vult et præordinat, necessario connexum : tum quia nec homo, qui causa per se peccati habetur, aliud quid facit, præsertim in *Thomistarum* sententia formale peccati in negativo constituentium.

Quoad 3^{am} part. Quiaposito ejusmodi decreto homo v. g. nec libere eliceret amorem, ad quem determinat illud decretum; nec libere etiam omitteret non amorem vel odium. Nam in hoc casu : 1°. Homo ille non potest seipsum determinare ad amorem, neque ante illud decretum determinans, cum alias foret inutile hoc decretum; neque dum actu decretum illud determinat, cum se determinare ad amorem non sit præcise amare, nec sponte tantum amare, sed amare vel amare velle sine aliqua necessitate vel obligatione intrinseca antecedente ad amandum, ut tamen fit præsentem isto decreto. 2°. Homo ille odium omitteret necessario, non autem libere seu ex potestate intrinseca et dominio in actum, quia non haberet decretum determinans ad odium. Nam qui caret virtute aliqua sic ad odium necessaria, ut ea non posita repugnet esse odium, ille necessario et non libere odium omittit : sed qui non habet illud decretum seu prædeterminationem ad odium, caret ejusmodi virtute; ergo.

125. *Dico III.* Deus futura ejusmodi videt immediate in *seipsis*, h. e. in veritate eorum objectiva et actuali existentia in secutura temporis differentia.

Prob. Contingentia absolute futura sunt determinate vera et cognoscibilia